

**S**AMPLISSIMO ADMO-  
DVMQVE REVERENDO PATRI  
AC DOMINO. D. LVPO MARCO PRAE-  
suli Abbatiq; Verolensi domino suo  
plurimum colendo Ioannes  
Nabascuesius Sangoſ;  
fanus Medicus.  
S. P. D.



I verèbeatus quisquā in hac vita vnquā  
dici potuit, quod negasse Solonē Aristo-  
teles memoriae prodidit, amplissime pa-  
ter: illustrissimus & nobilissimus prin-  
ceps Ferdinādus Aragonius cognomē  
to, Archiepiscopus Cetāraugustanus, si  
verum facere iudicū volumus, vñus est,  
qui merito suo beatus dici possit. Nā si  
is beatus statuendus est, qui virtutis per-  
fectæ perfecto fungitur munere, quīque bonis tum corporis tū  
externis abundē præditus sit, talisque sit permanfurus, donec ex  
viuīs decedat: cūm in illo singula ex his omnes numeros habeāt,  
beatū illum fœlicemq; vocare, priusquam ē vita proficiscatur, mi-  
nus credere, quam appellare verebor. Vt enim prudentiam exi-  
miā, qua quid in quaq; re verissimū sit, prospicit; animi excelsi ac  
inuicti magnitudinem & robur; modestiā, quæ nulli contigit ma-  
ior, preteream: nonne iusticia, quæ maxima omnium virtutū est,  
quæque omnes alias suo gremio cōplectitur, in eo eminet & elu-  
ceret? Norunt cuncti tum indigenæ tum alienigenæ, qui illius illu-  
strissimæ dignitatis officiū implorant, quam sancte, incorrupte,  
iuste, breuiter, omni semoto affectu, suum cuiq; tribuat: sicutibus  
tamen tristem aspectum, erectum, arduum, inexorabilemque, vt  
debet, ostēdit; in sicutibus clemente, alacrem, & benignum: omni-  
bus tamen grauein ac potentem vi & maiestate. Neq; id solum in  
amplissima illa & præclara dignitate, ad quam propter eximias  
suas virtutes concendit, ipse facit: verū etiā non minus diligen-  
ter cauet, vt quotquot sub eius sunt potestate iudices eadem reli-  
gione obstricti iusticiam colant. Breuiter siue domi cum priuatis  
& subditis, siue foris cum ciuibus, quacunq; deniq; hominū for-  
te ubiis gentium agat: sanctum, iustum, benignum, humanum,  
familiarem deniq; illum experiuntur omnes. Naturæ etiam do-  
nis nō vulgariter est ornatus. Habet enim ingenium perspicax,

tenacem memoriam, accuratum iudicium, sermonē suauem, genium denique cunctis prodelle, nemini obesse paratum. Quae omnia ipse solertia summa excolere non cessauit vñquā, nec cefsat. Quo factum est (quod alioqui varijs multisque occupationibus implicito minime licuisset) vt disciplinarum penē omnium accuratam cognitionem adeptus sit, adeo vt vel cum professoribus ipsarum de palma contendere possit. Nam vt sermonis Latini peritiam silentio inuoluam, historias omnes ita percaluit feli ciſſimēque memorię mandauit, vt quoties libitum illi est, memo riter fidelissimē eas recitet. Iam quanta cura & diligentia sacræ Theologiæ doctores perlegerit incredibile dictu est. Reliquas tum sacras tum humanas literas non oscitāter legisse ij facile norunt, qui cum eo cotidie versantur. De bonis ad corpus pertinentibus quid attinet pluribus dicere: cūm sit illi corpus paci, cui cōfocratus est, idoneum: & bello, si pro religione esset pugnandum, non minus aptum. Id quod in iuuentute, priūs quam se religione obstringeret, facile cunctis declarauit. Nam in decoris armis militaribus equis, quibus insidens, in eosque insiliens miram corporis dexteritatem & agilitatem facile cunctis ostendit: tum in lancearum cōcursu, arundinum collusu, aliisque militaribus exercitamentis, maximam gloriam eo tempore est adeptus. Famis, sitis, laboris, patiens fuit, semper frugi: forma decens & honesta, aspectus venustus & honorandus, valetudo firma, vires robuste. Fortuna largissimē quoq; sua bona cum eo communicauit. Cui enim mortalium nobilitate & generositate cedit? Si enim nobilitas, vt Aristoteles censet, maiorum claritas & antiquitas est, & generosus is dici meretur, qui maiorum antiquam nobilitatē summa cura tuerit: nonne principem nostrum inter nobiles nobilissimum, inter generosos generosissimum iudicabimus? Pater enim, auus, proauus, atauisque illius, omnesque tum maiores, tum ab eis deducti, ex aurea illa stirpe christianissimi Hispaniarum regis Ferdinandi cognomento Catholici originem ducit, Cesarique inuictissimo Charolo secundo cōsanguinitatis gradu coniunctus est. De quorum sanguine clarissimo preclarissimisque parentibus dicere non decreui: quandoquidem me facūdia & ingenio destitutū agnosco ad tantæ rei encomiū pro ipsius magnitudine & dignitate decantandum. Sed huic gentilitati nobilissimæ, imaginibus maiorum, preclarè gestis, sanguini clarissimo & longissimo, agmen virtutum ceu colophonem, vti dixi, addidit: in quo vera nobilitas residet, vt ait Satyricus. Ad dignitates & honores amplissimos meritis suis prouectus est, que si vir-

tutib⁹ respondere deberent, multo maiora est meritus: sed ea  
est illius modestia & humanitas, vt hæc superesse sibi putet: cùm  
sit ipse omnibus his ornamento non minori, quām illa sint ei.  
Divitiae largè abundéque, si cui alteri, illi suppetunt: quibus sic  
vtitur, vt illæ sentiant se habere dominum, non dominari pos-  
sidenti. Amicorum non exiguum numerum benevolentia, hu-  
manitate, beneficijs, fide, sibi comparauit. Sed quoniam vera fir-  
māque amicitia inter tam multos esse non potest, licet omnes be-  
nevolentia & beneficijs prosequatur, vnum, aut duos, aut certè  
paucos delegit moribus & vita probatos, cum quibus volunta-  
tum, studiorum, sententiarum, summa est illi consensio; tum ad-  
uersa tum prospera communia habet, omnēsque amicitiae leges  
religiosè obseruat. Ex quibus vnu primusque es tu dignissime  
Abbas, id quod cotidianus conuictus, domus communis, collas-  
ta int̄ ampla dignitas, facile declarant: quorum ipse non imme-  
mor nunquam non gratias illi agis & habes. Quam amicitiam,  
cùm honestate & virtute in primis nitatur, & ab incunabulis (vt  
sic dicam) religionis originem habeat, intemerataque ad hunc  
vsc⁹ diem durauerit, spero sempiternam fore; facileque mihi per-  
suadeo inter amicorū paria, si non quarto, certè quinto loco nu-  
meratum iri. Cùm igitur hæc omnia summa, absoluta, firmaque  
in eo sint, illum beatum fœlicemque in hac vita appellare, vt cres-  
dere, non recusabo. Ceterum cùm hæc aditus viaque sit ad sempi-  
ternam solidamque beatitudinem, ad quam nos esse natos firmi-  
ter credimus, illa non neglecta, in hanc conatus omnes suos ani-  
mosque dirigit, & intendit, nullumque non mouet lapidem, vt  
eā assequatur. Id quod sapienter sanè, vt cætera facit: quippe cùm  
ex triplici bonorum genere, quorum quodq; in illo suos nume-  
ros habet, animi bona (quæ solū Stoicis iudicibus boni nomē  
meretur, Peripateticis principatum obtinent) inter bona refert,  
quoniā ea demū vera sunt bona, clara, æternāq;. His in cœlum  
sempiternāmque beatitudinē aditus paratur, tantoq; reliquis pre-  
stant, quāto anima corpori & fortunæ. Qui illis prediti sunt, soli  
sunt nobiles & beati: necq; corporis & fortunæ bonis egēt, licet ad  
ornatū beatitudinis huius vite non parū faciant. Nam quæ  
à fortuna, vel progenitoribus, vel donatibus pendēt: fluxa, vana,  
caduca, pessimis quibusq; contingentia, sunt: probè prudenterq;  
facit, dū ea bona sectatur, quæ sempiterna & nunquā intercasura  
sunt. Ut enim reliqua pretereā, nonne cultus ille Dei optimi ma-  
ximi que religiosus in illo ita splendet & emicat, vt exemplar &  
specimen vitæ integerrimæ, & obseruadæ religionis mortalibus

omnibus exhibeat: Id quod in medio iuuentutis seruore, in me-  
dijs mundi ludicris, in honore ampio constitutus (erat enim eo  
tempore commendatarius maior Erganicensis) spredo mundo,  
eiusq; venenatis illecebris, sese religioni diui Bernardi addicere,  
Deoque animum corpusque deuouere statuit. Iam igitur mona-  
sterium diuæ Mariæ à petra dictū ingressus, ministris omnibus  
animo sanctitate pleno, & diuino spiritu afflato, pro meritis & di-  
gnitate cuiusque aurum, argētum, pecuniā, vestes, tapeta, equos,  
mulas, reliquāmque suam supellecītilem, distribuit. Contigit tan-  
tum cuiq;, vt sua forte contentus liberè arbitratu suo viuere pos-  
set, nec alteri inferuire domino amplius cogeretur. Nam clam ab  
illis se subducēs vnicō assumpto ministro, quem tantum sanctissimi  
decreti sui fecerat participem, monasteriū ingressus, sese re-  
ligioni addixit. Vbi religiose, sancte, tranquille, & amicè cum so-  
cīs aliquandiu vitam traduxit. Et ex pecunia, quam ihs vīsibus al-  
seruarat post largam illam distributionem in famulos, demolis-  
tam domum reædificauit: obæratam ære alieno liberauit: vecti-  
galia summa illi conciliauit, vel iam amissa recuperauit. In sacris  
illis ædibus duodecim moratus annos ætatis suę anno trigesimo  
septimo Abbas Verolensis creatus est. Quo loco grande æs alie-  
num, domum dirutam, expilatam, sine religione, ordine, omni  
malorum genere plenam, offendit. Quibus omnibus malis qua-  
tuor annorum spatio id quod Hercules Hydræ fuit, Oppigne-  
ratam enim septem millibus aureorum liberam reliquit, diru-  
tam exædificauit, instaurauitque, religiosos ad imitationem le-  
gēsque ordinis diui Bernardi precipua cura viuere coegit. Tan-  
dem anno à virgineo partu millesimo quingentesimo trigesimo  
nono, ætatis vero suę quadragesimo primo, maxima fœlicitate  
regni Aragoniæ Archiepiscopus Cæsaraugustanus electus est.  
Quam dignitatem quām castè, piè, iuste, inculpatè, gesserit, & ge-  
rat, nationibus omnibus innotuit, nedū indigenis. Quantis item  
impensis, curis, vigiliisque, Cæsaraugustanum primarium tem-  
plum orbis redemptori cōsecratum ampliare & ornare nitatur,  
incredibile dictu est. Sed sanè magnificentię ipsius opus respon-  
dere debuit. Vera me narrare nō ficta tu ipse dignissime Abbas  
omni exceptione maior testis es: quādoquidem his omnibus re-  
bus gerēdis fidelissimus minister illi fuisti, ab eo ne lato quidem  
culmo vñquam (vt aiunt) discedens. Cum igitur fulgore omniū  
virtutum princeps noster eluceat, & fœlicitate in hac vita orna-  
tus sit, & ad sempiternam summa animi intentione, diligentia, ca-  
stitate, obseruatione priuate religionis, omniūmque virtutū ex-

ercitatione contendat, merito suo inter Heroas post mortem pos-  
teritas referet. Cuius virtutes quia nostris preconijs non egent,  
& quia certo scio ipsum opere potius, quam famæ gratiam expe-  
tere, optareque magis in lecellu, quam in fronte beatum esse, &  
quia ad illius animi corporis, & fortunæ dotes literis prodendas  
celerius me tempus deficeret quam ipsa materia; illarum pondes-  
ri & magnitudini succumbens supercedere decreui; ne magis im-  
becillitatem ingenij & facundiæ nostræ prodam, quam virtutes  
ipsius, ut par est, repraesentem. Quæ omnia animum erexere, ut  
homo priuatus, nec facie nec nomine illius dignitati illustrissime  
cognitus lucubrations has nostras in Ioannem Mesuem nomi-  
ni tanti principis consecrarem. Volui tamen dignissime præsul-  
te auspice & exoratore ut (quādoquidem illi intimus es, & cùm  
tu ex illius nutu nunquam non pendeas: idem velle atque idem  
nolle utriusque est) ut libentiori animo munus nostrum accipiat,  
& optimo auspicio in vulgus ædatur. Quod facile scio non esse  
tanti, ut nobilissimo & illustrissimo principi nuncupari debeat;  
cæterū quandoquidem mihi in votis tantum fuit, animi mei pro-  
pensionem erga illius celsitudinē testatam relinquere, te auspice,  
quale quale id erit, libenti animo accipiet. Ut enim domini, cùm  
villici eos inuisunt, pyra, cerasa, nuces, caseum, aliaq; parui precij  
libeter accipiūt, animū offerētis non munus aspicientes: sic vehe-  
menter deprecor, des operā, ut chartaceum hoc nostrū munuscu-  
lum ea humanitate accipiat, qua in omnes homines vtitur. Quod  
eo maximè nomine illustrandum expoliendūque duxi, quod  
cunctis Pharmacopoeis & Medicis nō modo vtile, verum etiam  
necessarium sit. Mesues enim magnus & eruditus vir cūctorum  
manibus teritur: nulla Pharmacopolarum officina eo caret: nul-  
lius Medici bibliotheca eo destituitur. Erat tamen ita versus, ne-  
scio à quo, ut nec Arabicè, nec Latinè loqueretur autor peritissi-  
mus: in quē Mondinus cōmentarios breues, cōfusos, & nullius  
penè vtilitatis ediderat. Nostre vero ætatis Medici maximā non  
nulli lucem illi attulerunt: alijs non pauca crimina falso quando-  
que obiectarūt morbo animi potius, quam veritate impulsī. Cer-  
te opera Iacobi Syluij viri & doctrina & facundia clarissimi, quo  
preceptore glorijs gaudeoq; me vsum fuisse, lucem accepit, La-  
tinèque loquitur. Cæterum quia ille paraphraſtæ munere fun-  
ctus est, liberiusque interdum quedam vertit, id quod nobis non  
permittimus: coacti sumus versionem recognoscere, & pleraque  
arctioribus limitibus astringere, nonnulla Arabicè relinquere:  
quoniam latinitate donata obscuriora viderentur nostri seculi

Pharmacopolis; quibus consulere in primis statuimus, alia alijs de caussis facie noua produximus. Scio tamē non defuturos, qui has nostras lucubrations damnabunt, dicēntque nos & oleum & operam perdidisse, idque facient, qui Arabum autoritatem eleuare conantur, quique nihil putant ratum firmūmque, quod ex Græcorum officina non prodierit. Sed vt non nego artis Medicæ summos præcipuosque principes Græcos fuisse; ita profector multorum & utilissimorum inuentionem Arabicis scriptoribus referendam esse acceptam. Mirabuntur alij, quòd ea ætate scribam, qua ingenia maximè vigēt, florēntq; disciplinæ omnes. Desinent tamen mirari, vbi norint non aucupādæ inanis glorię, sed iuuandę pro nostra virili parte iuuentutis gratiâ hunc laborem subijsse. Voluimus enim talentum nobis commissum non abscondere sub terra, sed cum sc̄enore restituere. Quod an fuerimus affecuti, aliorum esto iudicium; certè prodesse voluimus. Id etiam obiter dicam, interesse vitę vt Pharmacopolæ viri sint boni, medicamentorum notas, cognitionem particularem, præparandi & componendi rationem in numerato habeant, minimeque eos admittendos ad Pharmacopoeam, qui sermonis Latini sunt rudes: pœnam capitalem, non pecuniariam imponendam, si falsa, adulterata, notha, mala deniq;: pro veris, fuco caren tibus, legitimis & bonis, dederint medicamēta. Quandoquidem plus periculi est ab illis quam à morbo, si quidem alia pro alijs re media offeruntur. Nonnulli odore lucri decepti, omni seposita charitate, nihil non audent; dummodo ex sanguine & visceribus populivim summam auri colligant. Olim Medici parabant medicamina, Chirurgiam exercebant, herbarij fideles nutriebātur ab imperatoribus Romanis in Sicilia & Creta, vt vera & exquisita medicamenta Romam mitterent, multis ab hinc annis prouincia hęc hominibus imperitis, & lucro potius quam saluti humanae hiantibus, delegata iacuit: nunc doctorum hominum solertia in dies erigitur reuiuiscitq;. Ceterum adhuc relicta sunt duo hominum genera arti Medicę fidem derogantia, alterum eorū est, qui Medicinam semestrem exercent, & nulla suffulti doctrina, è textrina, sutrina, & tonstrina subito profilentes, Medicinam faciunt. Nam vbi primum syrups nominare, sanguinem mittere, medicamentum purgans, vino interdicere, verbis tenus norunt; accedit ornatus sericus, vestis rasa, heliotropica, vndulata, anulatę manus, salutatio potentum, caterua asseclarum mensa, bibonum, heluonum, parasitorum: quibus fucis verum metuntur Medicum, & misero vulgo imponunt. A quibus si ornamen

ta corporis detrahas , maiorem quam cornicula Aesopi excita-  
bunt cachinum . si queras vbi verlentur , non in musæis sed in gy-  
næcijs , compitis , ludis , compotationibus , eos cōperies . Cūm per  
petuus esse deberet Medicus in studijs , insomnes studendo non  
cōmeliando ducere noctes , & honestum illud Hesiodi certamen  
certare . Alterum consenuit quidem in exercenda pannosa qua-  
dam & sordida Medicina ; quod genus hominum canis & sene-  
cta commendari tantum cupit , & in precio haberri . Id quod faciē  
dum quidem esset , si non essent morosi , insolentes , praua doctrī-  
na imbuti , si non frugibus inuentis glandem defenserent , si non  
puderet eos dediscere senes , quæ adolescentes prauè dīdicerunt ;  
si non propter mille annos haberri fidem sibi vellent , nulla adhi-  
bita ratione nec autoritate . Quæ vero dicunt faciūntque præter-  
quam quod sordida , inculta , vel barbarie plena sunt ; à vera Me-  
dicina penitus abhorrent ; & tamen philautia tā malè affecti sunt ,  
vt Apollinis oracula reddere se putēt . Hippocratem , Galenum ,  
reliquoisque Medicinæ principes , cūm ne à limine quidem salu-  
tarint , se percallere vel ad vnguem gloriantur , vel præ se nihil du-  
cunt ; adeò est illis ignorantia cum arrogātia coniuncta . Sed iam  
receptui canendum ; ne dum horum plura vitia detegere insecta-  
rīque nitimur , maledicendi cacoēthes contrahamus . Cūm igitur  
duo hæc hominum genera nobis reliqua facta sint , hos iudices  
nostrī operis ego recuso . nam licet utriusque maximè velint , non  
magis verum intueri poterunt , quam noctua & vespertilio lu-  
men solis . Quiquidem si alicubi contra me sententiam tulerint ,  
ad procerum Medicinæ subsellia non modo appello , verum etiā  
eos prouoco . Quanquam ad cornicatorum & maleuolorum cer-  
uices frangendas , ora maledica obturanda , latratus plus quam  
caninos prohibendos , autores adhibuimus ad marginem , non  
proletarios , nec capitecēlos , sed classicos , primeque notæ ; ex qui-  
bus omnia ferè , quæ scripsimus , excerpta sunt . Quibus omni-  
bus si tua opera illustrissimus admodumque reuerendus Archi-  
episcopus noster , vt diuus quidam Tutelaris & Tutanus , presit ,  
summum laboris nostri premium erit , fauor non vulgaris aduer-  
sus obrectantium linguas , arx Capitolina , ornamētum , genius  
denique libri , vt æternum viuat . Foue igitur studiosorum ani-  
mos & instituta Abbas amplissime : quo liceat illis serio incum-  
bere studijs , veritatem è medijs tenebris eruere , & erutam tueri .  
Alioqui si principum & procerum fauor musarum mystas desti-  
tuat , corruent rursus in veritatem assertæ , & postliminio receptæ  
doctrinæ , Cimmeriæ redibunt umbræ , viuemus denique ut bru-

ta animantia sine legibus, institutis, & doctrina. Sed tantum  
malum, vt auertat Deus, orandum, & cultorum litera-  
rum animos erigere enitendum, vt incæptum iter  
prosequantur. Sic enim fiet, vt non amplius  
veteri Romæ, neq; nobilissimis inui-  
deamus Athenis. Vale præful hu-  
manissime, & me in tuo-  
rum clientum nu-  
merum re-  
ferto.